

DISPUTATIO JURIDICA
DE

23
DOLO, CULPA
ET CASU
FORTUITO,

Quam
DEO AUSPICE

Et

Annunte Inchyto FCTORUM ordine,

In Almâ & Perantiqua Geranâ

Sub

PRÆSIDIO

Prænobilis, Amplissimi & Consultissimi

DOMINI

JOANNIS MATTHIÆ
WINCOP,

Phil. & J.U.D.earund. Facultat. Assessoris & Prof. Publ.

nec non Præfecturæ Electoralis hujatis Consulents

defendendam.

suscepit

PHILIPPUS FRANCISCUS

à BELLMONT,

MOENO-FRANCOFURTENSIS.

In Auditorio Jurid. Collegij Majoris.

Die Maji Anno M DCCV.

ERFORDIÆ, Excudebat JOH. HERR, Grofchy Acad. Typogr,

DISPVTATIO IURIDICA

DE

DOLO, CULPA
ET CASU
FORTUITO,

Quam

DEO IURIS

ET

Annuntio Iuribus IURIS

in Alma & Perpetua Germani

Sub

PRÆSIDIO

Præsidii, Augustini & Consilii

DOMINI

JOHANNIS MATTHIÆ
WINCOP,

Phil. & I. U. D. erund. Facultate A. B. & Prof. Publ.

et non Præsidii in Iuris Iuribus

habetur

in

PHILIPPUS FRANCISCUS

DE BELLMONT,

MOENIO FRANCOPOLITANUS,

in Iuris Iuribus

Die Martiano M. DCCV.

APPODIE, Incedat Jan. Henr. Orosius A. C. 1705.



REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMIS
& GENEROSISSIMIS DOMINIS,

DOMINO

DAMIANO
HUGONI,

S. R. I. COMITI

à SCHÖNBORN,

Domino in Reichelsberg / Equitis Ordinis Teutonici,
Eminentissimi Principis Electoris Moguntini Consiliario

Intimo, Ballivatus per Hassiam Commendatori
Provinciali, nec non Commendatori in

Holz & Ober-Florsheim.

DOMINO

FRANCISCO
ANSELMO,

S. R. I. COMITI

à SCHÖNBORN,

Domino in Reichelsberg/ Eminentissimi Principis Ele-
ctoris Moguntini Vice-Domino in Wschaffenburg/

Consiliario Aulico & Legionis Acrobalticae

Colonello locum tenenti, Fratibus

Germanis.

DOMINIS DOMINIS MEIS GRATIOSISSIMIS.

REVERENDISSIME, ILLUSTRISSIMI &
GENEROSISSIMI COMITES.

DN. DN. GRATIOSISSIMI.



Um MAGNIS NOMINIBUS VESTRIS, quæ ruidiori minervâ tanquam studij mei Juridici primitias de Dolo, Culpa & Casu Fortuito conscripsi Principia & Assertiones inscribere præsumo, non minus me culpæ reum, quam temeritatis & audaciæ insimulari timerem, nisi propensior vester in sacrarum Legum scientiam animus & ubique terrarum deprædicata humanitas homini, qui vobis vivere & seruire unam Votû & fati sui Legem agnoscit & à perennis speciosissimi fontis vestri guttulis refocillari exoptat, ausui huic veniam polliceretur; invaluit enim confians

à *Saeculis opinio, cum Avito Paternoque sanguine*
plerumque & generosa mentis igniculos in filiis
adolescere; cum itaque Avitarum Paternarum-
que virtutum heroicarum amuli felicissimi ea-
rum praconia aternitati consecrare & ad sera po-
sleritatis memoriam transmitters continetis in-
que ILLUSTRISSIMA FAMILIA VESTRA à plurimis
retro Saeculis sagò & togâ FORTES exstiterint HE-
RORES & existant, in quibus ut omnia in Oceanum
flumina, omne Decus, omnis Gloria confluit,
quæ venerabundus silentio potius admiror, quam
ut iis digne depradicandis me parem fore confi-
dam; mirum vix ulli videbitur, quod MAGNA
NOMINA VESTRA devotissimâ Thesium mearum
incriptione in fidissima subjectionis obedientia-
que argumentum, beneficiorum praesertim multi-
tudine adauctus me totum qua possum animi de-
missione dedicando, venerari ausim. Suscipite
igitur ILLUSTRISSIMI COMITES ac DOMINI
GRATIOSISSIMI exiguum hunc devotissima men-
tis indicem meque à speciosissimo Clementiarum-
fonte vestro irrigari & Gratia favoniis aspirari
permittite, Ego interim divinam imploro & dum-
spiro, implorabo ardentius misericordiam, ut Vos

ILLU-

*ILLUSTRISSIMAMQUE DOMUM VESTRAM in se-
ros usque Annos & usque ad consummationem
Saculi, conservare, defendere, sospitare & pro-
sperare clementissimè dignetur, cui Votorum meo-
rum summa immorior*

**ILLUSTRISSIMORUM NOMINUM
VESTRORUM**

**DEVOTISSIMUS VENERATOR & SERVUS
HUMILLIMUS**

Philippus Franciscus à Bellmont.



CANDIDE LECTOR.



EN! tibi presentem de Dolo, Culpa & Casu Dissertationem exhibeo & in ea Assertiones, quæ si non totam Hujus rei materiam comprehendant, magnâ tamen ex parte attingunt, placuit ea cum primis quod instituto meo magis conveniens & Lectori Benevolo hactenus non adeo frequens fuisse mihi visa sit; Accipe igitur quos primos presentis mei Studij tibi fructus offero & quod de Dolo candidè, de Casu præmeditatè scripsi, benigno & faventi animo suscipe, nec Culpa, quem de Culpa ad huc Tyro suscepi, laborem, nam & illum conatus juvat, sed si quid fortè erroris simul irrepisse inveneris, non dolo aut culpâ, sed casu potius fortuito id factum putâ, vale & fave.



CAPUT PRIMUM.

DE

D O L O .



Dolus à dolendo, vel ut alij volunt, dolando, i. e. lædendo vel minuendo derivatur, Græcis δολος, Gallis la Finesse, la Ruse, Germanis ein Betrug/ Hinderslist dicitur & accipitur regulariter pro fraude & machinatione, solemus etiam dolum in bonam partem usurpare & pro laudabili quadam solertia in proprium rei Domesticæ commodum reputare, hinc alius Dolus bonus, alius malus *L. 1. § 3. ff. de dolo malo*, malum jura verant, horret justitia, proscribit veritas; bono uti licet in bello, pace, publicis & privatis. In bello dolus an virtus quis in hocce requirat? in pace & publi-

publicis, qui nescit tegere, nescit regere; qui nescit dissimulare, nescit regnare, documentum erat Ludov. XI. Regis Franciæ; licet denique in privatis per l. 22. §. 3. ff. locati. l. 16. §. 4. ff. de minoribus, ubi licitum naturaliter se in Contractibus circumvenire, cum enim difficile sit exactam rerum & pretij æqualitatem ita scrutari ut unum alteri ad ultimum usque obulum correspondeat, innatum est contra vix non cuique sit vilis emendi & carius vendendi desiderium, industria potius œconomica, dum emptor, quod pluris est, minoris emit & venditor, quod minori pretio valet, majori vendere tentat, quam illicitum quoddam proximum suum defraudandi studium reputandum videretur, quamdiu nimirum præscripti à natura æquitatis limites non exceduntur; *DOLUS igitur Bonus laudabilis quædam solertia est, qua tuemur nos & nostra alios, aut aliena. DOLUS MALUS est improba voluntas directe alterum lædendi, hic dividitur in VERUM, & PRÆSUMPTUM; Verus est, qui modo definitus, Præsumptus, quando de facto quidem non adest improba alterum lædendi voluntas, fingitur tamen à LL. adesse, sic lata culpa, (de qua inferius,)*

A 3

dolus

dolus malus à LL. esse suo modo præsumitur
L. 32. ff. de positi L. 8. §. 3. de precario. &c. DOLUS
VERUS alius est *Generalis* sive *Rudis*, qui est im-
 proba voluntas alteri directe nocendi non adhi-
 bitâ callidâ machinatione & hic plerumque in
 maleficiis, furto rapina, vj tam expulsiua, quàm
 compulsiua admittitur. *Alius* in *SPECIE TALIS*
 sive *ARTIFICIALIS*, qui est fraudulosa machina-
 tio ad alterum lædendum scienter & maligno a-
 nimo adhibita & hic in Contractus quandoque
 irrepit, *artificialis* hic rursus scinditur in *SUB-*
STANTIALEM & *ACCIDENTALEM*, *Substantialis*
 est qui decipit circa predicatum substantiale, sive
 substantiam, ad quam principaliter restricta e-
 rat intentio contrahentium, ut si mihi vendatur
 vitrum pro gemma, orycaleum pro auro, *acciden-*
talis, qui decipit circa accidentia, ut si mihi ven-
 datur novum pro antiquo vino, *Accidentalis* hic
 rursus subdividitur in *Dantem Causam Contractui*,
 & *Incidentem*, Dolus dans *Causam Contractui*
 est, qui inducit partem læsam ad Contrahendum,
 sine quo alias Contractura non fuisset, ut si lo-
 co vini Rhénani quod emere intendo, tu mi-
 hi Francicum vendas affirmans esse Rhenanum:

Inci.

Incidens, sine quo alias contracturus quidem fuisset, dolo autem ejus, cum quo contraho, vel in pretio, vel alia in qualitate decipior, ut si à te vinum novum emo persuasus esse vinum antiquum empturus tamen & si novum scivissem. His prænотatis, sit

Affertio I.

Dolus Generalis in Contractus interveniens non facit Contractum ipso Jure nullum, idque nec *Jure Nature*, nec *positivo*, non *Jure nature*, quia non tollit voluntarium Consentum, ubi enim est Electio, ibi voluntarium non tenetur esse sublatum, in Contractu, in quo dolus generalis intervenit, competit læso Electio, ergo voluntarium in ipso non est sublatum, Exempl. vid. in Contractu vi aut metu inito, non *Jure positivo*, quia conceditur per hunc dolum læso restitutio vel per Exceptionem *L. 9. §. 3. ff. quod metus causa*, vel per actionem *L. 9. §. 4. ff. L. 21. §. fin. ff. eodem*, ubi autem exceptio & actio datur, ibi necessario actus, ex quo illæ oriuntur, ipso jure validus supponi debet.

Affertio II.

Dolus specialis substantialis undecunque veniat, omnem Contractum omni jure reddit irritum, quia excludit consensum ad valorem Contractus essentialiter necessarium, idque tam ex parte decepti, quam ex parte decipientis, ex parte decepti res clara est, qui enim

vult

vult emere gemmam, non consentit in vitrum, quo decipitur, ex parte decipientis itidem non obscura, utpote qui non vult gemmam sed vitrum dare.

Affertio III.

Dolus accidentalis sive det causam Contractui sive non, Jure Naturæ non facit ipso Jure irritum Contractum, dolus enim accidentalis inducit errorem ex parte decepti, qui Error, cum substantialis non sit, sed tantum circa accidentia rei in Contractum deducta, ipsum non vitiat, quia saltem manet Consensus ratione substantiæ rei, sic si eum corrupta pro Virgine habitâ matrimonium in eam, illud tenet etiam J.N. quia Error, qui me ad contrahendum induxit, tantum accidentalis est *Hopp. in Comment. ad Instit. princ. de empt. Vendit. N. 2. circa finem.*

Affertio IV.

Dolus accidentalis dans causam Contractui bonæ fidei, si ab uno contrahentium commissus fuit eum, Jure Civili nullum facere communiter asseritur per *L. 7. princ. ff. de dolo malo* & licet contraria sententia vix non pari nitatur *L.L. autoritate ut inspicienti L. 5. Cod. de rescind. Vend. l. 3. prin. & §. si venditor ff. de Act. Empt. & Vendit.* patebit, imo accuratius ponderata probabilior alicui videri posset, Ne tamen contra communem ire velle videamur, Citramontanos sequimur.

Affertio V.

Dolus dans causam Contractui stricti Juris illum non annullat *L. 36. ff. de Verb. Obl. L. 5. C. de inutilibus stipul. rationem*

nem differentiæ, quare non æque ut Contractus bonæ fidei annuletur ipso jure cum Zælio *N. 14. ff. b. t.* hanc allegamus, quia in Contractu bonæ fidei per dolum talem deceptus consentit quidem in Contractum, sed cum implicitâ quasi conditione, si causa, ob quam contraxi, vera sit, hac igitur deficiente cum in Contractu bonæ fidei non Consensus solum, sed causæ etiam ad consentiendum moventis ratio habeatur, ea deficiente æquitas (quæ hic maximè observanda,) utique postulat Contractum talem ipso jure nullum declarari, in Contractibus verò stricti Juris, licet aliquis dolo inductus sit, verum tamen est, eum consensisse. Nec Obstat, quod in causa erraverit, causa enim, in qua erratum, extra Contractum est, in Contractibus autem stricti Juris, cum non attendantur ea, quæ extra Contractum sunt, sed solum contrahentium conventioni citra ulteriorem æquitatis rationem inhareri soleat, meritò ipso jure subsistere dicuntur.

Assertio VI.

Dolus accidentalis ab uno ex Contrahentibus commissus tam *Jure Nature* quàm *positivo* ex parte decepti Contractum irritabilem reddit, *probatum* primum, quia decipiens jure Naturæ obligatur ad damna per dolum decepto illata amovenda, ergo etiam jure Naturæ obligatur consentire in rescissionem Contractus, si læsus rescissum velit, quia inter damna ex dolo illata & illud reputandum est, quod deceptus ex dolo Contractu obligetur, *probatum etiam secundum L. 7. princ. ff. de dolo malo. L. 16. § 1. ff. de minoribus*, ita tamen ut in arbitrio decepti sit, vel itne Contractum

Etum servare nec ne, si velit servare, distingvendum venit inter Contractum bonæ fidei, & stricti Juris, in bonæ fidei Contractu deceptus agit actione ex Contractu ad interesse, nec juvat decipienti opponere nullitatem Contractus propter dolum à se commissum, quia propriam alias turpitudinem allegaret; in stricti verò Juris Contractu actione doli ad indemnitate[m] præstandam compellitur decipiens. Si nullum, vel rescissum velit Contractum deceptus, tunc vel executioni jam mandatus est, vel non, si executioni jam mandat[us] est, in Contractibus bonæ fidei ex Contractu *L. 9. princ. ff. b. r. L. 6. ff. de rescindenda Vend.* In Contractu stricti juris, actione doli, ad dissolvendum Contractum & refusionem illius, quod interest, agit. Vel non est adhuc executioni mandatus, & res integra, tunc tam in Contractu bonæ fidei, quam stricti Juris exceptione doli contra decipientem utitur. *l. ult. ff. de dol. mal. except.*

Affertio VIII.

Dolus accidentalis à tertio commissus nullo Jure videtur Contractum inutum irritabilem facere posse, non Jure naturæ, quia alteri Contrahenti nihil imputari potest, consequenter nec alieno odio prægravandus; non jure positivo, uti colligitur *L. 7. ff. de dolo malo.*

Affertio IX.

Quamvis Dolus accidentalis omnem Contractum omni Jure faciat irritabilem, non tamen Contractum Matrimonii, idque ratione vinculi ab homine indissolubilis, nisi primo sit accidens, in quo dolus commissus est, in ipsam personam redundans, ut si Contrahens non tam habuerit

habuerit respectum ad accidens vel qualitatem, quam per ipsam qualitatem certam quandam personam sibi determinaverit, sic enim dolo substantiali potius circumventus est, consequenter Matrimonium illud, quod, quis V. G. volens primogenitam cum secundo nata inquit, ipso jure ob defectum consensûs nullum est, secundo nisi qualitas, in qua quis deceptus est in expressam Conditionem deducatur, ut si quis Bertam, quam divitem esse dolo persuasus est, sub expressa Conditione, si dives est, accipiat, tunc enim nullum quoque ob defectum consensûs foret matrimonium, nec dicas Conditionem hanc hinc ut in omnibus Contractibus subesse, nam Resp. aliam esse Contractuum bonæ fidei, qui circa patrimonium nostrum versantur, rationem, aliam denique Matrimonij, quod ob scandalum per separationem inducendum, sine omni voluntatis restrictione factum esse censetur.

Affertio X.

Nullus dolus regulariter in dubio præsumitur. *L. quoties §. qui dolo ff. de probationib. L. dolum, Cod. de dolo*, idcirco re apud me deposita pereunte, illa potius casu fortuito, quam meo dolo periisse censetur, ita ut allegans dolum à me commissum eum probare teneatur, quæ Conclusio adeo vera est, ut nequidem dolus præsumatur, quando quis in rixâ, armis ad occisionem, alias non usitatis V. G. baculo, pugno, lapide, Cantharo &c. in alterum occisionem causasset, modo aliunde de animo occidendi non constet.

Affertio XI.

Dolum committunt omnes, qui lumine rationis

utuntur, hinc furiosi, infantes, item impuberes, Infantia proximi utpote doli incapaces de illo non tenentur, quando quis Infantia, vel pubertati proximus dicatur, inter Dd. Controversum est, Nos cum August. L. 3. *Emend. Jur. Capit. 9.* Infantia proximum rectè dicimus eum, qui jam annum ætatis septimum excessit, & octavum attingit, quousque vero proximus infantia reparandus sit, Judicis ex annorum, personæ, statûs & actûs qualitate id æstimantis arbitrio reliquendum putamus, idem porro de ebriis puta plenè talibus ac dormientibus ferimus Judicium.

Affertio XII.

Solum dolum regulariter recipit depositum & precarium §. *penult. J. quibus mod. re Cont. Obl. § L. 23. ff. de R. J.* & omnes Contractus, qui unius tantum utilitatem respiciunt ex parte nimirum illius, cujus nulla est ex tali Contractu utilitas, paucis exceptis de quibus *in Cap. secundo.*

Affertio XIII.

Ex dolo competit actio doli, quæ est Prætoria, Personalis, ex delicto, arbitraria, (cum nisi arbitrio Judicis fiat restitutio, sequaturq; condemnatio, quanti res est æstimanda jurejurando in litem actoris l. 4. *in f. ff. de in lit. jurando*,) rei persecutoria, famosa & subsidiaria, quæ datur dolo malo læsis adversus ita lædentes ad id, quod interest, se læsos non esse, & damni illati restitutionem, sed ad illam requiritur primò dolus malus ex parte decipientis *secundò* ex parte decepti læsio, unde, in quo læsio facta, ab actore est exprimendum L. 16. *ff. de dolo malo.*

malo. Tertiò ut nullum superfit aliud juris remedium
L. 7. §. 102, § 4. ff. ibi: quotiescunque enim alia actio
non famosa, aut Criminalis, aut aliud juris remedium,
v. g. restitutio in integrum, Interdictum, aut exceptio
etiam doli datur, toties actione doli experiri non potest,
L. 1. §. 1. § 4. ff. ibi dixi actio non famosa, aut criminalis,
quia si æque infamet ordinaria actio, ac actio doli, Ele-
ctio decepto competit utrâ agere velit, tandem ut ean-
dem instituentes non sint Liberi aut liberti, hæc actio
enim non datur adversus Parentes aut Patronos, cū eorum
famæ sit parcendum, quam aliàs sugillaret, unde actione
in factum contra eos agendum, quâ fama non læditur,
L. 11. §. 1. ibid. nec humilis potest instituere hanc actio-
nem, adversus eum, qui est in dignitate Constitutus d.
L. 11. in fine.

Affertio XIV.

Ex dolo etiam datur exceptio doli, *l. ult. ff. de dol.*
mal. Except. ut supra, quæ duplex est alia *generalis*, alia
specialis L. 4. penult. cod. Generalis datur omnibus, à
 quibus contra naturalem æquitatem aliquid petitur, ad-
 versus scienter tale quid petentes ad excludendam eo-
 rum intentionem summo jure Competentem *L. 2. §. 3. § 5.*
ff. eodem § L. 3. C. de non num pecun. & concurrit cum
 omnibus aliis Exceptionibus non diutius tamen duratu-
 ra quam Exceptio alias Competens, *d. l. 2. §. 5. Specia-*
lis quæ competit ei, qui in ipso negotio, ex quo actio
 descendit, fraudulosa machinatione deceptus est, ad-
 versus illum, qui in hoc negotio dolum commisit *d. l. 2. §. 1.*
§ 2. Remedium hoc est perpetuum personale, non in-
tem scriptum.

Affertio XV.

Ex delicto doloſo condemnatus fit infamis, *L. 4. S. ſn. ff. de his qui not. infam.* ob turpe factum & Legis authoritatem hic ſupervenientem, ſic adulterij *L. 7. ff. de publ. Jud. furti, rapinæ, jurisjurandi rei* fiunt regulariter infames.

Affertio XVI.

Ob dolum in Contractu bonæ fidei admiſſum condemnatus non fit infamis, quia in Contractu tali principaliter agitur ad præſtationem illius ad quod Contractantes ſe obligarunt, ergo non ob dolum, utpote qui incidenter tantum in conſiderationem venit, infamis declarandus eſt ille, qui illum in Contractu admittit, niſi de fide, ad quam unus contrahentium principaliter reſpexit, rupta agatur, tum enim ex dolo in Contractu admiſſo etiam infamis quis declaratur, Exempla ſunt in ſociet. Mand. depof. Tutel. Secus eſt in Contractu ſtricti Juris, ex quo, qui proprio nomine condemnatus eſt, ob actionem doli famoſam, inde Competentem infamis fit.

CAPUT SECUNDUM.

DE

CULPA.



Ulpæ nomine negligentia, ſocordia, deſidia, ſegnities, imprudentia, inconsideratio, incuria, ruſticitas, ſimplicitas, imperitia &c. denotatur, his enim

voca-

vocabulis sæpè promiscuè cum Imperatore Jcti
 utuntur ut §.3. *Inst. Quibus mod. Re. Cont. Oblig. L.*
72. ff. pro Socio. L. 64. princ. ff. de Evictionibus, & c.
 describi potest, quod sit negligentia cum impru-
 dentiâ vel imperitiâ conjuncta, quâ alii facto eo,
 quod fieri non debuit, vel neglecto eo, quod fie-
 ri oportuit, nocetur, colligitur ex *d. §. 3. J. quib.*
mod. re Con. Ob. §. 5. J. de Lege Aquil. L. 121. ff. de
R. J. & sicut humana diligentia, quæ in rebus no-
 stris adhiberi solet, triplici gradu distinguitur in
 summam, mediam & infimam, ita & opposita hu-
 ic negligentia seu culpa triplex denotatur inq; la-
 tam *L. 26. §. 3. ff. de Scto Trebelliano, Levem, L. 22.*
§. 3. ad Sctum Trebellianum. L. 24. §. ff. de acqui-
rendo rerum dominio, & levissimam L. 44. princ.
ad Legem Aquil. scinditur, Lata est negligentia,
 quâ quis omittit eam diligentiam in rebus alie-
 nis, quam communiter homines ejusdem con-
 ditionis, professionis & ætatis in rebus suis adhi-
 bere solent, ut si quis rem facile auferibilem eo in
 loco ponat, ad quem omnibus liber patet acces-
 sus, vocatur hæc culpa etiam Crassa, latior *L. 32.*
ff. depositi, Culpa gravior L. 6. de Juris & facti
ignorantia, Culpa dissoluta, L. 5. C. de periculo.
 Tuto-

Tutoris magna negligentia, L. 226. de V. O. malè dividitur in Culpam Versutiae, utpote quæ dolo potius annumeranda, & Culpam ignavia; melius in Culpam latam in abstracto & concreto; Culpa lata in abstracto est, si quis faciat, vel omitat id, quod omnes ejusdem Conditionis homines facturi aut omissuri non essent; Culpa lata in concreto quando minor diligentia in alienis rebus adhibetur, quam in propriis. Illa dicitur in abstracto ideo, quia in eo non respicitur hominis ob præstationem culpæ conventi diligentia in rebus suis adhiberi solita, sed abstrahitur à subjecto & potius consideratur ipse Contractus, quid & quantum pro ejus natura præstari debeat, non attendendo, utrum homo ille in suis rebus diligentissimus, an negligentissimus sit. Hac in concreto dicitur, ubi nullus negotiis respectus habetur, sed solius subjecti Conventi diligentia attenditur, observando, an eandem in alienis, quam suis, adhibuerit, distinctionis hujus existentiam vid. ex L. 32. ff. depositi. Lævis est omissio illius diligentia, quam communiter omnes homines ejusdem Conditionis diligentes & prudentes in suis rebus adhibere solent. L. II. princ. ff. de periculo

culo & commodo rei Vendita, sic si quis pignus à muribus Corrodi passus sit, si fenestras altiores non clauserit, hæc Culpa commissa censetur, sic & Culpam levem committit Colonus, qui eo tempore Culturam agrorum suorum omittit, quo diligentes Coloni alij agros suos colunt, *L. 25. §. 3. ff. locati*, dicitur hæc culpa levis non à levitate vel parvitate damni illati, cum ex levi Culpâ magnum quandoque damnum oriri possit ut ex scintillâ incendium. Sed oppositivè ad latam culpam, quod nimirum non tantam, sicut illa, foveat negligentiam; de hâc observandum venit, quod *quotiescunque Culpa in genere mentio fiat in L. L. hac regulariter intelligatur*; Exempla sunt in *L. 5. §. 2. ff. Commodati. L. 23. ff. de R. J. & c.* dixi regulariter substrata, enim materia & L. L. aliud quandoque suadent. uti apparet in *L. 25. §. penult. ff. locati. & L. 16. de Condict. furt.* accipitur autem hæc culpa (sicut lata) aliquando *in Concreto* pro omissione illius diligentia quam quis alias in suis rebus, aliquando *in abstracto* pro omissione diligentia quam regulariter omnes ejusdem Conditionis diligentes in suis rebus adhibere solent; illo modo venit

C

in

in societate §. *fn. Inst. de societate*. in rerum Communione L. 25. §. 16. ff. familiae *Erciscunde*, hoc modo in tutelæ administratione L. 10. ff. de *admin. Tut.* Levissima est omissio illius diligentiae, quam homines ejusdem Conditionis solertissimi suis in rebus solent adhibere, ut si januam quidem clausisti, sed non iteratò tentásti, an sera obfirmata fuerit, alia Exempla vid. *apud Hopp. in Comment. ad Inst. de Obligat. pag. m. 697. in fine*, quæ tamen omnia in singulis factis arbitrio prudentis Viri aut Judicis pro Circumstantiarum qualitate ponderanda sunt, Culpæ hujus mentionem facit L. 44. ff. ad *Leg. Aquil.* his præmissis sit

Affertio I.

Quodsi Contractus initus in solius accipientis utilitatem tendit tunc à dante lata solum Culpa præstatur. Ratio in æquitate fundata est, quia iniquum foret majorem, quam infimam diligentiam ab eo præstandam exigere ex Contractu, qui nullam inde utilitatem percipit, cum sufficiat ut vel in paucis labore nostro consulamus amico L. 20. C. de *negotius gestis*, sic in commodato, quia commodantis utilitas non versatur, ab eodem non præstatur, nisi lata culpa, l. 5. §. 2. ff. *Commodati*. Exceptiones vide *apud Hoppium in Comment. ad Inst. p. m. 698. & ex seq. hujus Diss.*

Affer.

Affertio II.

Quotiescunque in Contractu solius dantis utilitas versatur, itidem accipiens non præstat nisi culpam latam, idque ob rationem, quæ priori assertioni allegata est, sic in deposito, quia solius dantis utilitas spectatur, à Depositario regulariter lata solum culpa præstat, L. 1. §. 5. ff. de oblig. & act. L. 61. §. 5. ff. de furtis.

Affertio III.

Lata culpa sicut dolus in omni Contractu præstandus est, quia in omnibus Contractibus bona fides requiritur, L. 4. C. de Oblig. & act., bonæ autem fidei repugnet ad Culpæ latæ præstationem adstringere se nolle, quæ tamen sine doli præsumptione non admittitur, quod ita verum est, ut pacta de latâ culpâ non præstandâ inita tanquam bonis moribus repugnantia & occasionem delinquendi præbentia invalida omnino sint, L. 1. §. 7. ff. depositi, quod tamen intellige de lata culpa seu dolo futuro seu committendo, dolus enim commissus remitti pacto utique potest, utpote ad delinquendum amplius non invitante L. 27. §. 3. & 4. ff. de pactis. L. 4. C. de transactionibus.

Affertio IV.

In Contractibus & delictis ubi agitur ad restitutionem damni & interesse privatum vel pecuniarium culpa lata æquiparatur dolo L. 5. §. 5. ff. Commodati. L. 1. §. 8. & L. 32. ff. depositi L. 2. §. 5. ff. de hereditate vel actione vendita. L. 29. princ. ff. mandati. L. 226. ff. de Verb. signif. L. 8. ff. de edendo. L. 1. §. 1. ff. Si mensor falsum modum dixerit, lata Culpa doli appellatione continetur.

C 2

Affertio

Assertio V.

In causis Criminalibus lata culpa dolo non equiparatur quoad pœnam ordinariam. Carpz. *Pract. Crim.*, *Quaest. 27. N. 4.* Probatur primo L. 23, §. 2. ff. de *Ædilitio edicto.* & L. 7. ff. ad *legem Cornel. de Sicariis*, ubi Paulus negat in ordine ad Pœnam legis Corneliæ culpam latam pro dolo accipi, ergo nec in aliis pœnis delictorum Criminalium ex rationis paritate accipitur, probatur etiam ratione, certe enim magis delinquit, qui dolo, quam qui lata culpa delinquit, ergo delictum culpâ latâ commissum tantopere puniri non debet, quam commissum ex dolo, inter culpam enim & delictum proportionem esse oportet.

Assertio VI.

Ob culpam latam in delictis Criminalibus admissam potest pœna corporis afflictiva pro mensurâ admissi delicti extra ordinem instigi, Carpz. d. Carpz. *N. 32. & seqq.* probatur ex L. 3, §. 1. ff. de *Officio præfecti vigilum.* L. 11. ff. de *incendio. ruina, naufragio*, ubi latam culpam committentibus in causis Criminalibus extraordinaria pœna statuitur, probatur etiam ratione, Conveniens enim omninò est in eum pœnâ quâdam extraordinariâ animadverti, qui ex culpandâ planè incuriâ non prius circumspiciens ramum V. G. de arbore, tegulam de recto dejiciendo prætereuntem occidit, aut qui ex supinâ quâdam incuriâ incendium domûs suæ causat, per quod non solum sibi sed & vicinis nocetur.

Assertio VII.

Commodotarius qui potuit rem commodatam unâ cum

cum suis è flammis eripere, suas solum redimendo commo-
danti ob latam Culpam ad æstimationis præstationem
tenetur, quia enim diligentiam omisit, quam omnes suæ
Conditionis homines impensuri fuissent.

Affertio VIII.

Commodatarius, qui omnes suas res pretiosas &
viles flammis eripuit, nullas verò commodaturam in-
dolo vel saltem lata culpa esse præsumitur, Vi cuius ad
æstimationem præstandam adstringitur, nisi præsumpti-
onem hanc fortiore probatione enervet.

Affertio IX.

Commodatarius res pretiosiores Commodatas suis
vilioribus in periculo incendij postponendo de Culpâ
latâ tenetur, quia omisit facere id, quod quilibet suæ
Conditionis homo facturus fuisset.

Affertio X.

Depositarius committit Culpam latam, qui in re-
bus suis dissolute negligens eadem negligentia tractat
depositas, easque perdit, videatur *L. 32. ff. deposit.* Quia
qui non adhibet communem omnibus hominibus dili-
gentiam, committit culpam latam, atque talis Depositi-
tarius non adhibet communem omnibus suæ Conditi-
onis hominibus diligentiam ergo committit Culpam la-
tam.

Affertio XI.

Depositarius in rebus suis diligentissimus in depo-
sitis eandem diligentiam non adhibendo culpâ latâ te-
netur, tunc enim tenetur, quando salvâ fide non potest

minorem diligentiam adhibere in rebus alienis, quam in propriis, *atque* Depositarius in rebus suis diligentissimus non potest salva fide minorem diligentiam in rebus alienis adhibere quam suis, *ergo*. Videatur rursus *L. 32. ad ff. eodem.*

Affertio XII.

Depositarius sicut Commodatarius de latâ Culpâ tenetur, si res suas viliores depositis pretiosioribus anteponat, ex ratione quæ supra de Commodato data est

Affertio XIII.

Tutor ob latam Culpam damnatus non fit infamis probatur *primò* per *Cap. 15. & Cap. 49. de R. J. in 6. L. 56. ff. de Reg. Jur.* ubi odia restringenda, in dubio benignior interpretatio facienda, & L. L. pœnæ interpretatione molliendæ dicuntur, *atque* odiosa est sententia dicens ob Culpam latam tutorem damnatum fieri infamem, benignior vero illa, quæ dicit, non fieri infamem, *ergo* amplectenda hæc, rejicienda altera: *Probatur secundò* ubi lex non distinguit, ibi nec nos distinguere debemus *L. 8. ff. de Publiciana in Rem Actione*, & dicta de genere vel toto, censentur etiam dicta de singulis speciebus & partibus, *atque* Imperator §. 6. *Inst. de Tutoribus suspectis*, simpliciter, indefinitè & generaliter Culpam excipit, negando ob illam Tutorem infamem fieri *ergo* etiam excipit latam, nec vult Tutorem fieri infamem; *probatur tertio* per *L. ultimam C. de suspectis Tutoribus* ubi manifestum dicitur Tutores suspectos remotos *ob solum dolum* infames fieri, *ergo* non ex lata culpa, cum dolus à lata culpa distingvatur *L. 7. C. arbitrium tutela. Leg. 2. C. de in litem jurando probatur quarto* *L. 3. §. 18. l. 4. pr. de suspect.*

suspect. Tutor. ubi Tutor ob segnitiam, rusticitatem vel ineptiam remotus integrâ existimatione à tutela exire dicitur, si integrâ existimatione, ergo non fit infamis.

Affertio XIV.

Quamvis precarium unius tantum Contrahentium (nimirum accipientis) utilitatem respiciat, tamen nec levissima ab eo præstatur, sed tantum lata culpa per L. 8. §. 2. ff. de precario, & L. 23. de R. J. Ratio quia hoc quodcumque placet, repeti potest à Concedente, adeoque ejus vel non magna vel instabilis utilitas est.

Affertio XV.

Quotiescunque in Contractibus amborum Contrahentium utilitas versatur, toties levis utrinque culpa præstatur. Ratio in æquitate consistit, utpote quæ non patitur eandem hic, ut in aliis, Culpam præstari; Exemplum habes in *Emptione Vend.* L. 23. de R. J. L. 36. ff. de Act. Empt. locatione Conductione L. 60. §. 7. ff. locat. Societate §. fin. ff. de societate. Pignore §. 4. Inst. *Quibus mod. Re. Contr. Obl. Rerum Communionem dicta* L. 23. de R. J.

Affertio XVI.

Commodans, Depositarius honorarium accipiens (modo non sit nimis modicum) de levi Culpa tenetur L. 1. §. 24. ff. de Vi bon. Rapt. quia & sic aliqua ex Contractu ei accedit utilitas.

Affertio XVII.

Depositarius, cui in casu necessitatis incendij V. G. aut tumultûs res aliqua Custodienda traditur, non ad le-

vcm,

vem, sed solum latam culpam tenetur, deficit enim lex majorem obligationem Depositario imponens.

Affertio XVIII.

Mandatarius aliquando latam tantum Culpam, aliquando latam & levem, aliquando latam, levem & levissimam præstat; vel enim versatur in negotio nullam plane industriam desiderante, ut est fidejubere pro alio, vel versatur in negotio absque summâ diligentia agrè perficiendo vel in negotio sine exacta diligentia ad votum non expedibili; *in negotio primi generis* latam tantum per L. 10. ff. *Mandati in secundi generis negotio* latam, levem & levissimam L. 13. & L. 21. C. *Mandati, in tertij generis negotio* latam & levem tantum prout ex L. 22. §. ult. L. 27. §. 4. L. 29. §. 4. L. 56. §. 2. L. 60. §. ult. ff. L. 11. C. *Mandat*, L. 23. ff. *de R. J.* videre est, inspicienda igitur est natura negotij, nec enim majorem diligentiam mandans exigere nec Mandatarius promittere censetur, quam natura negotij requirit.

Affertio XIX.

Negotiorum Gestor aliquando ad Casum fortuitum, aliquando ad dolum & latam culpam tantum, aliquando ad levissimam, regulariter ad levem tantum obligatur, ad Casum fortuitum tenetur si utilitas Domini non intenditur vel ratio negotij gestionem dissuadet, L. 11. L. 6. §. 3. ff. *de negot. gest.* si gerat negotium alias periturum, ad dolum tantum & latam Culpam L. 3. §. 3. ff. *de negot. Gest.* ad levissimam, si alius diligentior concurrat & hujus intuitu abstineat §. 7. *de Obligat. que*

ex

ex quasi Cont. Nascuntur, his Casibus exceptis ad Culpam tantum levem tenetur per L. 11. & L. 32, in princ. ff. de Negot. gest. ubi non nisi Culpæ mentio fit, sed quotiescunque Culpæ in genere fit mentio, levis intelligitur Arg. L. 5. §. 3. ff. de in lit. Jur. L. 6. ff. de Jur. & fact. igni, ergo &c. probatur secundò per L. 20. C. de negot. gest. ubi negotium gestor dicitur teneri de Culpa lata & levi, nullâ mentione factâ levissimæ, ergo. probatur tertio quia in præfenti quasi Contractu favor absentium attenditur, ne nimirum eorum indefensâ relinquuntur negotia §. 1. J. de oblig. qua ex quasi Cont. nasc. ubi habetur *ideo hunc quasi Contractum introductum esse, ne absentium, qui subita destinatione coacti nulli demandatâ bonorum suorum administratione peregrè profecti essent, desererentur negotia*, sed desererentur negotia absentium si illorum gestores de levissimâ culpâ tenerentur, ergo ad hanc non sunt adstringendi, quarto denique probatur ex L. 23. ff. de R. J. ubi negotiorum gestio inter alios Contractus, in quibus tantum levis culpa præstatur, ergo.

Affertio XX.

Tutor aliquando ad levissimam, aliquando ad latam tantum & dolum, regulariter vero ad levem culpam præstandam tenetur; *ad levissimam* si administrationi se sponte obtulerit, puta offerendo satisfactionem, cum plures Tutores testamento dati essent, L. 53. §. 3. ff. de furtis, *ad solam latam Culpam* vero in illis negotiis, in quibus etiam diligens Paterfamilias cœntire & culpam levem facile admittere potest, non enim in talibus nimis rigide cum Tutoribus procedendum est, vid. L. 7.

D

§. 2.

§. 2. de administr. & periculo Tut. L. 2. C. Arbitr. tut. Struv. Thes 38. hinc extra hos casus levem tantum præstat per L. 23. ff. de R. 7. ubi venditum locatum & tutela conjunguntur, quoad præstationem culpæ, sed ex vendito & locato præstat levius culpa tantum, ergo & ex tutelâ, probatur secundò L. 7. C. Arbitrium tutelæ: quæ sic habet *quicquid Tutoris dolo vel lata culpa aut levi minores amiserint, vel cum possent non acquisierint; hoc in tutelæ seu negotiorum gestorum utile Judicium venire non est incerti Juris.*

Assertio XXI.

Potest inter Contrahentes conveniri, ut ex Contractu utriusque Contrahentium utilitatem respiciente præter levem etiam levissima aut omninò casus vel his omnibus ommissis sola culpa lata præstetur, quia præstatione culparum vel levis vel levissimæ naturalia sunt Contractuum, quæ Conventione Contrahentium indistinctè mutari possunt, dant enim Pacta & Conventiones legem Contractibus.

Assertio XXII.

Quotiescunque in Contractu unus tantum utilitas versatur, toties ille, cujus utilitas versatur, ad levissimam tenetur, sic Deponens Depositario, Commodatarius Commodanti ad levissimam culpam præstandam adstringitur, ratio in æquitate consistit, cur enim non ad levissimam alteri culpam præstandam obligaretur, qui solus ex Contractu emolumentum sentit.

Assertio XXIII.

Depositarius exercens Officium, vi cujus ad accuratorem

tiorem rerum depositarum Custodiam tenetur, ad levis-
simam quoque culpam obligatur, sic Nautæ, Caupones,
& Stabularij, quia ex Officio & professione suâ res in ho-
spitium delatas, & apud se depositas custodire tenentur,
levisimam præstant, ut satis colligitur ex L. 3. §. 1. ff. *Nautæ
Caup. & Stab.*

Affertio XXIV.

Depositarius ulro ad res custodiendas se offerens
ad levisimam quoque obligatur, quia quotiescunque
aliquis ad negotium aliquod se ipsum offert, toties in-
eodem ad levisimam quoque culpam regulariter adstrin-
gere se velle videtur; L. 1. §. 35. ff. *depositi*, nisi subjecta
materia aliud svadeat.

Affertio XXV.

Commodatarius ad damnum à tertio rei Commo-
datæ illatum refarciendum non tenetur L. 19. ff. *Commod.*
quia nullâ curâ aut diligentia evitari potest, quo minus
damnum injustè rei commodatæ inferatur, sic si Stabula-
rio eqvum Commodatum more diligentissimorum Vi-
atorum commisi, isque eidem damnum inferat, ego
propterea extra præstationis obligationem maneo, nisi
præcavere damnum facile potuerim, vel tali Stabulario
eqvum commiserim, de quo prudenter timendum erat,
ne damnum inferret L. 4. ff. *locati*.

Affertio XXVI.

Mandans Mandatario ad damnum levissimâ suâ
culpa illatum refarciendum tenetur *Arg. L. 5. §. 2. ff.
Commodati* ratio in æquitate fundatur.

Affertio XXVII.

Maritus & Tutor in rebus suis diligentissimi in-
bonis

bonis uxoris & pupilli eandem diligentiam adhibere, necesse habent *L. 27. princ. ff. de Jure Dotium. L. 1. ff. princ. ff. de tutelâ & rationibus distrabendis* ex quibus eandem uterque diligentiam his in Casibus adhibere debet, quam in suis,

Affertio XXVIII.

In dubio incendium non Casu fortuito, sed Culpâ inhabitantium exortum censetur *L. 3. §. 1. Verbo & quia ff. de Officio præf. Vigil. L. 11. ff. de periculo & commodo rei Venditæ*, quæ culpa præsumpta non est levis, sed levisissima, quæ in omittendo non committendo consistit, Berlichius *P. 4. Concl. 25. N. 77. & seqq.*

Affertio XXIX.

Ex Lege Aquilia Conventus ad levisissimam quoque culpam præstandam tenetur, hinc licet Conductor, cujus culpâ levisissimâ incendium in domo conductâ ortum est, ob eandem culpam (utpote quæ in Contractibus in utilitatem utriusque Contrahentium tendentibus non præstatur) conveniri non possit, potest tamen ex *L. A. modo* tamen culpa illa in faciendo, non tantum in omittendo, consistat, secundo modo ex culpâ hæc damnum per se, non per accidens, veniat *Arg. L. 30. §. fin. L. 29. §. 7. ad Leg. Aquil.*

Affertio XXX.

Culpa commissa vindicatur in Contractibus bonæ fidei per actionem ex principali Contractu Competentem, sive ex ipsa Contractus natura, sive ex speciali Conventionone adjecta culpa præstanda veniat per L. 7. §. 5 ff. de pactis, in Contractibus vero stricti Juris sive stipulationibus
per

per actionem in factum Arg. L. 11. & L. 14. ff. de prescript. Verb. L. 55. ff. de acquirendo rerum Dom. nisi Clausula de culpa præstatione stipulationi fuerit inserta, tunc enim actio ex stipulatu locum habebit Arg. L. 7. §. ff. de dolo malo. L. 4. §. 16. in fin. ff. de doli mali except. in Innominitatis Contractibus, licet stricti Juris sint, hoc speciale videtur quod ad culpam vindicandam actio præscriptis verbis alias ex his Contractibus Competens detur L. 17. ff. de Preser. Verb. idque propter Affinitatem, quæ hos inter & Contractus bonæ fidei intercedit.

CAPUT TERTIUM.

DE

CASU FORTUITO.

PER Casum fortuitum hic *damnum ali-*
quod, quod nullâ diligentia humanâ e-
vitari potest, & quod nullâ preceden-
te aut incidente Culpâ incurritur, sed
magore quâdam & occulta vi contingit, intelli-
mus vid. L. 18. & 19. ff. Commodari, unde major
Casus, cui resisti non possit ab homine §. 2. F.
quib. mod. Re. Contr. Oblig. Damnum fatale L. 52.
§. 3. ff. pro Socio. fatalitas L. 1. C. de Jure Emphyt.
vis Divina L. 23 §. 6. ff. locati appellatur, nomine
etiam periculi venit L. 9. §. ult. ff. de rebus Credi-
tis definitur, quod sit inopinatus rei eventus qui

D 3

nulla

nulla diligentia humanâ vel prudentiâ, vel providentiâ præcaveri potuit, Exempla ejus reperiuntur in Jure plurima, ut naufragia, inundationes, incurfus hostium, incendium ex fulmine, tumultus, ruinæ adium, prædonum impetus, violentiæ pluviarum, ventorum, fluctuum, grandinum, frigus, æstas & calor immodicus, mortes pecorum &c. dividitur in Casum magis frequenter contingentem, insolitum qui minus frequenter contingit, de eo tamen verosimiliter cogitari potuit, & insolitissimum, de quo nec in genere nec in specie cogitari potuit, hic Casus, qualis sit, non tam exinde, quod millesimo vix anno contigerit, dijudicandum, quam prudentis Judicis arbitrio; his præmissis sit

Affertio I.

Casus fortuitus regulariter in nullo Contractu præstatur L. 23. in fin. ff. de R. J. nullâ enim diligentia præcaveri potest, consequenter nulli imputabilis, cum impossibile nulla sit obligatio, dein unaquæque res suo perit Domino ac ipsius periculo esse dicitur L. 9. C. de pignorat. actione, ergo alij, quam Domino, Casus fortuitus imputandus non est, hinc res Commodata, deposita, oppignorata, mandata, si Casu pereat, à Commodatario Depositario &c. non præstatur,

Affer.

Affertio II.

Potest conveniri inter Contrahentes, ut in Contractu etiam Casus fortuitus præstetur V. G. ut Commodatum, Mandatum depositum in se. etiam Casum suscipiant, pacta enim dant legem Contractibus.

Affertio III.

Quotiescunque unus Contrahentium Casum in se suscepit, illum tantum in se suscepisse censetur, qui *magis frequenter* contingere solet, aut etiam *insolitum* rarius nimirum contingentem, de quo tamen verosimiliter cogitari potuisset, non ad *insolitissimum*, quia de eo nec cogitavit, nec cogitare potuit, consequenter se nec ad illum obligare.

Affertio IV.

In Contractu mutui Casus fortuitus seu periculum spectat ad Mutuatarium, sit enim ille Dominus rei mutuo acceptæ, ergo & periculum ipsius erit per dictam *L. 9. C. de pign. statione.*

Affertio V.

In Contractu Empt. Vendit. periculum spectat ad Emptorem etiam si tradita res nondum sit §. 3. *Inst. de Empt. Vendit.* quia licet Venditor rei venditæ adhuc sit Dominus, est tamen debitor speciei, qua interempta liberatur *L. 23. de V. O.* partim quia Emptor sibi imputare debet, cur pretio non statim oblato rem venditam petierit, partim commodum rei emptæ spectat ad Emptorem; ergo & detrimentum per *L. 7. ff. de periculo & commodo rei venditæ*; Exceptiones vide apud *Hoppium.* ad §. 3. *Inst. de Empt. Vend.*

Affertio

Affertio VI.

Mandans Mandatario Casum fortuitum præstare tenetur, si Casus quoquo modo à Mandante prævideri aut timeri potuerit *L. 61. §. 5. ff. de furt.*, ubi habetur *multo tamen æquius est, officium suum nemini, quod ejus, cum quo contraxit, non in sui commodi Causam susceperit, damnosum esse, secus tamen est primò, si Mandatarius aliquod ex negotio commodum sentiat, secundò si prævideri Casus à mandante non potuerit L. 26. §. 3. ff. Mandati* neque enim periculum hoc Casu in se suscipere censetur Mandans, cum facto potius, quam mandato rei interitus sit imputandus.

Affertio VII.

Si culpa vel mora Casum præcesserit, ille utique etiam in Contractibus præstatur *L. 25. §. 4. ff. Commodarii. L. 23. ff. de V O. L. 12. §. 1. ff. depositi* sic si Venditor equum venditum malè, custodiens furto auferri permittat, de Casu furti tenetur.

Affertio VIII.

Fur ratione rei furtivæ ad Casum indistinctè tenetur, quia in mora semper est, mora autem in re restituenda, commissa Casum inde subsecutum præstari omninò deberi facit. Hæc hac vice, pro ingenij, mei tenuitate & instituti nostri ratione adduxisse sufficiat.





Condere cum vellet Jurisprudencia Templum,
 Unde suas leges, & sua Jura daret:
 Montem, DIVA, super statuit suaponere tecta,
 Ut stare casus nescia & Ampla Domus.
 Struxit: & in pulchro posuit Sacra Limina Moni
 te,

Et jam Monte Domus, Mons micat ipse Domo.
 Quis Mons ille? rogas: Mons est Cognomine
 BELLMONT;

Hic BELLI MONTIS Nomen, & omen ha-
 bet.

Omen habet (nam nulla mihi de Nomine lis est)
 Implet mensuram Nominis ille sui.
 Mons est, quo resident, Phæbo cum Praside, Musæ,
 Quidni Parnasso dixeris esse parem?
 Urbs, ubi Doctarum tractavit sacra sororum,
 (Pasim Mansuetas dicimus esse Deas)
 Urbs ea Testis erit, queis creverit incrementis
 In Montem, Musis, & Tibi Phæbe sacrum.
 Hoc in monte sibi Jurisprudencia Templum
 Condidit, hinc leges, & sua jura dabit.

*Vive diu Mons belle, Themis tua vota secundet;
Quig tibi coeptus, perficiatur bonos.*

Ita Dn. Defendenti gratulatur Universitatis
Erfordienſis RECTOR

JOANNES PHILIPPUS Streit /
Conſiliarius Regiminis.

0320 0320 0320 0320 0320 0320 0320 0320 0320 0320

A Rtes Te Sophiae, Legum quoque Jura Phi-
lippe,

Erfurtum docuit; teſtis eſt ipſa Theſis.

Cui tua ſedulitas lingvarum idiomatica junxit,

Cultaq; ſcribendi copia larga fuit.

Gratulor his ſtudijs, quorum Tu commoda car-
pes,

Si quo coepiſti, ſic pede ſemper eas.

Nobilisſimo DN. RESPONDENTI gratula-
bundus deproperabat

P R A E S S.

0320 0320 0320 0320 0320 0320 0320 0320 0320 0320

Nomen habes lepidum *DE BELLO MONTE* ſuisq;
Conveniens rebus, *Themidos pranobile ger-
men.*

Te Parnasicoſam declarat A pollo fuiſſe

Jam dudum, & doctas coluiſſe Heliconis alumnas,
Pega-

Pegaseôque probè miratur fonte rigatum:
 Propterea ad Pindi Te culmina ducit, & inter
 Justitiæ Myſtas locat: id quod jure meretur
 Doctrinæ Specimen laudabile, quod modò pro-
 mis:

Ut porrò volvens ſpatioſa volumina juris,
 Dante DEO, tandem præclara brabéa reportes,
 Utariſque ſimul ſuccesſibus undique fauſtis,
 Jam vovet ex animò Tibi dedita

Muſa Petrina.

~~~~~

**B**ellus tu Bellum præfers Cognomine Montem  
 Quidni te Bellum Candida facta probent?  
 Bellus jure poteſt Mons hic ſacer eſſe Deabus  
 Nec Parnasſiacis Collibus eſſe minor.  
 Cernimus ut Themidos de fronte relucet imago,  
 Hinc ſua Juſtitia debita juſſa refert;  
 Hac ſit perpetuo Themidi ſua commoda ſedes,  
 Bellus quotidie Mons magè Bellus eris.  
 Creſcat in Immenſum Mons Bellus in athera  
 ſurgat,  
 Attingat famâ Solis utramque, Domum

af



*Ast ne Divitias sub Bello Monte reconde,  
 Communi pateant rara talenta bonò  
 Hinc tibi surget honos, hinc nomina Clara paran-  
 tur  
 Sit fortuna Comes, Dux erit ingenium.*

Ita Amico suo plurimum Colendo in debi-  
 ta observantia testimonium ap-  
 precatur

J. A. BRANDT, J. U. Cand.


**B**ellum BELLE petis, bella! bellando trium-  
 phas,

Bellè bellanti, bella trophæa dabunt,  
 MUNDE tuère dolum contra mundum, benè  
 CULPA,  
 Quod contra culpam est; CASIBUS adde  
 pedes.


Ita Nobiliss. ac Doctiss. Dn.  
 Defendenti apprecatur

JOANNES BARTHOLOMÆUS BUSCH,  
 AA. LL. & Philos. Mag. Ss. Theolog. &  
 J. U. Studiosus,











DA A 6546

ULB Halle 3  
002 937 271



SB

von 8


von 7 R











B.I.G.

Farbkarte #13

23

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
DOLO, CULPA  
ET CASU  
FORTUITO,

Quam  
DEO AUSPICE  
Et  
Annunte Inchyto *JCTORUM* ordine  
In Almâ & Perantiqua Geranâ

Sub  
PRESIDIO  
Pranobilis, Amplissimi & Consultissimi  
DOMINI

JOANNIS MATTHIÆ  
WINCOP,

Phil. & J.U.D.earund. Facultat. Assessoris & Prof. Publ.  
nec non Praefecturae Electoralis hujatis Consulentiis  
*defendendam*

suscepit  
PHILIPPUS FRANCISCUS  
à BELLMONT,

MOENO-FRANCOFURTENSIS.  
*In Auditorio Jurid. Collegij Majoris.*

Die Maji Anno MDCCV.

ERFORDIÆ, Excudebat JOH. HENR. Grosch/ Acad. Typogr.